

MEDICAMENTA

PRÆPARATA ET COMPOSITA.

C A P. I.

MEDICAMENTORUM QUORUNDAM SIMPLICIUM PRÆPARATIONES.

HERBARUM ET FLORUM EXSICCATIO.

HERBÆ et flores hypocausti vel foci communis calore leni exsiccentur, ea quantitate tantum quā id quā citissime fiat. Sic enim eorum vires optime servantur; cujus indicium est color natus quā perfectissime constans.

CONII maculati verò folia, et alia, materie subtili volatili referta, post exsiccationem illico conterantur, et vasis vitreis bene obturandis reponantur.

SCILLA MARITIMA EXSICCATA.

RADICEM Scillæ maritimæ, ablatâ externâ tunicâ, transversim in taleolas tenues seca, et leni calore exsicca. Recte exsiccata indicium est, quod friabilis reddita amaritiem et acrimoniam retinet.

PULPARUM EXTRACTIO.

FRUCTUS qui pulpam præbere possunt, si immaturi sint, vel maturi et sicci, coque cum pauxilla aqua, ut mollescant; deinde pulpam per cribrum setaceum exprime; postea in vase fictili coque lento igne, crebrò agitans, ne aduratur, donec mellis spissitudinem habeat.

ITEM Cassiæ Fistulæ pulpa ex siliqua contusa excoquenda est, deinde aquam evaporando ad idoneam spissitudinem reducenda.

FRUCTUUM maturorum et recentium pulpæ per cribrum exprimantur, nullâ coctione præmissâ.

SULPHUR SUBLIMATUM LOTUM.

℞. Sulphuris sublimatī libram unam,
Aquæ libras quatuor.

SULPHUR coque paulisper ex Aqua; deinde
hanc aquam effunde, et, frigidā affusā, omne Ac-
idum ablue; denique Sūlphur exsicca.